

1142, març, 26

*Ramon de Serra, que emprèn un pelegrinatge a Jerusalem, empenyora a Sant Daniel i a la seva abadessa Ermessendis el violari que té sobre certs masos situats a Fornells, al puig de Cases, que la seva esposa Sibil·la havia llegat al monestir, per deu morabatins d'or.*

ASD núm. 25, perg. orig., 145 x 220 mm. Còpia: Llibre 22, núm. 158, pp. 446-447.

Sit notum cunctis quoniam ego Raimundus de Serra impignoro cenobio Sancti Danielis et tibi Ermessendis abbatisse omniue conuentui eiusdem ecclesie ipsum mansum qui est in parrochia Sancti Cucufatis de Furnellis qui est in puio de ipsis Casis, quem solebat inhabitare Laurentius et modo inhabitat Petrus Pauci simul cum illo quod inde tenet Petrus Bernardi et cum illo quod inde tenet Petrus Ferrarii et cum illo quod inde tenet Petrus de Beget et cum omnibus tenedonibus suis et pertinentiis ubicumque sint, sicut Sibilla ea melius habuit et tenuit et Sancto Danieli donauit, in quibus recognosco me nichil habere nisi tantum uiolarium in uita mea. Sicut habentur et continentur supradicta omnia, sic impignoro ea prelibato cenobio et tibi Ermessendis abbatisse necnon et omni conuentui cum omnibus sibi qualicumque modo pertinentibus, sicut melius ad utilitatem supradicte ecclesie intelligi potest propter .x. morabatinos optimos et legitimos auri et pensi quos mihi acomodatis. Tali modo quod si rediero ab hac peregrinatione Iherosolimitana quam incipere cupio, sit mihi licitum ea redimere et habere dum uixero, eo scilicet tenore ut post obitum meum sit alodium francum Sancti Danielis solide et libere et in eius ius et dominium reuertatur perpetim habenda et possidenda; et si non rediero similiter in eius reuertatur dominium et potestatem ad alodium francum perpetuo iure habendum et possidendum. Si quis contra hanc impignorationem et conuenienciam ad irrumpendum uenerit, non ualeat sed duplam prefate ecclesie compositionem persoluat, hac scriptura firmiter persistente.

Actum est hoc .vi. kalendas aprilis anno .v. regni Ledouici regis iunioris.

Sig+num Raimundi de Serra, qui hanc impignorationem et conuenienciam feci, firmaui firmarique rogauit, et si rediero et redemero hec supradicta, non sit mihi licitum inde aliquid dare uel impignorare aut aliquo modo alienare. Sig+num Arnalli de Aquauia. Sig+num Berengarii, filii eius. Sig+num Raimundi Rodballi. Sig+num Fulcarii. Sig+num Guilielmi Ermengaudi.

(s. *man.*) Petrus presbiter hoc rogatus scripsi, die annoque prefixo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 104-105